

contenderent, sicuti in allato Concilii canone aperte conspicitur; censuram tamen non fugit doctrinæ improbabilis, & alienæ à communi sententia aliorum Theologorum doctærum, polygamiam Divino, æquè ac naturali juri, eo modo, quem supra innuimus, esse contrariam. Immo non deest, qui solidis fundamentis innixus, post recensitam monogamiam ex parte viri inter præcepta naturalia secundæ classis, eandem contendat, ex parte foeminae, inter præcepta primæ classis adnumerandam; tum quia una mulier pluribus nupta maritis difficile admodum fecundatur, & proles obnoxia est multis in educatione periculis; tum quia in veteri Testamento multi quidem leguntur homines sancti, pluribus uxoribus eodem tempore copulati; sed nullam omnino reperire est inter sanctas foeminas, quæ plures maritos uno eodemque tempore habuerit.

## CAPUT XXII.

*De postulato proposito circa Matrimonium inter duos Calvinistas in Transylvania contractum, cum alter ex iis, ejurata heresi, ad Fidem Catholicam conversus esset.*

Formula, qua hæretici Calvinistæ in celebrandis Matrimoniis utuntur, ex eorum rituali libro, seu formulario desumpta, hæc est: *Dicat minister ad contrahentes: Jungite manus, & dicat: Vir, interrogo te, primo, præter hanc personam, quam manu tenes, alteri causa matrimonii dedistine manum, fidem, ac donum, vel non? Resp. Non dedi. Secundo: Amas ne illam? Resp. Amo. Tertio: Accipis ne illam in uxorem? Resp. Accipio.* Ad foeminam inde conversus, eodem modo de iisdem etiam interrogat. Habitisque ab

utroque conjugis responsionibus minister ita prosequitur: *Dic vir: Verus Deus, qui est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus perfecta Sancta Trinitas, unus verè æternus Deus, ita te adjuvet in tua vera fide, quod personam, quam manu tenes, amas, ex amore illam accipis in perpetuam uxorem, illa contentaberis, cum illa patieris, nec illam, tua, & illius vita durante, nec in sanitate, nec in infirmitate, nec in felici, nec in infelici statu, nec in ulla illius ærumna deseres, quoadusque in sua honestate & puritate permanserit. Ita te Deus adjuvet.* Eadem postea, conversus ad foeminam, repetit.

II. Cum autem inter virum, & foeminam Calvinistas in Transylvania initum fuisset modo prædicto matrimonium, factum postea fuit, ut foemina, ejuratis illius sectæ erroribus, Religioni Catholicæ nomen daret, & primo marito Calvinista in vivis adhuc agente, alteri viro Catholico nuberet. Hoc matrimonium occasione dedit Transylvaniæ Episcopis interrogandi, num matrimonium, quod mulier recens conversa cum viro Catholico celebraverat, validum habendum esset, an nullum. Quod quidem dubium solvi non posse dignoscitur, nisi prius certò constiterit, an primum matrimonium, ab eadem muliere cum viro Calvinista contractum, quo tempore, & ipsa in eadem heresi versabatur, verum firmumque fuerit, an potius nullum & irritum.

III. Scholasticis disputationibus prætermisit, illius videlicet quæstionis omisso examine, utrum insolubilitas matrimonii consummati, donec uterque conjugis vixerit, procedat à jure naturali, necne; id certum est, perpetuam illius firmitatem à jure Divino scripto profluere; sicuti evidenter inferitur ex cap. 2. Genesis, & ex cap. 19.

Sanct-

*Sancti Matth.* quemadmodum advertit Summus Pontifex Bonifacius VIII. in cap. unic. de voto, & voti redemptione, in sexto, & post eum egregiè observant Patres Concilii Tridentini in Doctrina de Sacramento Matrimonii. Nec minùs certum haberi debet, matrimonii vinculum nequam dissolvi, si ab alterutro conjugum fides conjugalis adulterio frangatur. Quod enim à Christo Domino dicitur apud Sanctum Matthæum cit. cap. 19. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur; & qui dimissam duxerit, mæchatur;* non ita debet intelligi, ut, interveniente fornicatione, locus esse possit ejusmodi dimissioni, qua matrimonii vinculum dissolvatur; sed divortio dumtaxat, seu dimissioni, quæ cohabitationem tollat, intacto conjugali vinculo remaneate; sicuti explicat Tridentinum Concilium, can. 7. sess. 24. de Sacramento Matrimonii. Ex his planè consequitur, matrimonium inter virum & foeminam contractum, quo tempore ambo Calvinianæ sectæ adhærebant, validum, firmumque censendum esse, tametsi cum cæteris ejusdem hæresis sectatoribus falsò opinati fuerint, matrimonium etiam quoad vinculum, adulterio interveniente, dissolvi; siquidem credendum est, eos generali voluntate contrahere voluisse matrimonium validum, juxta Christi legem, ideoque etiam adulterii causa non dissolvendum. Privatus enim error nec anteponi debet, nec præjudicium afferre potest generali quam diximus voluntati, ex qua contracti matrimonii validitas, & perpetuitas pendet, & consequenter inducitur nullitas secundi matrimonii, quo foemina, post susceptam Catholicam Fidem, primo adhuc vivente marito, alteri se conjunxit.

Tom. II.

IV. Evidens hac de re videtur esse Innocentii III. textus in Decretali *Gaudemus de divortiiis*, ubi ita legitur: *Qui autem secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium veritas in Evangelio reprobaverit, numquam, ea vivente, licitè poterit aliam etiam ad Fidem Christi conversus habere.* Sanè Moyses Deuteronom. cap. 24. propter Hebræorum cordis duritiam, eisdem permisit, ut possent uxores suas repudiare. Quidquid autem sit de ea controversia, quæ inter Theologos agitur, utrum concessio per Moysen, ut majus malum evitaretur, libello repudii, quicumque illum darent, quique reciperent, à poena quidem liberarentur, sed non à culpa; an verò, hujusmodi indulti vigore, ab utraque immunes evaderent; de qua quæstione Nos egimus in nostra Constitutione 38. quæ incipit: *Apostolici ministerii, tom. 2. nostri Bullarii*: quidquid (inquam) sit de ea quæstione, hoc certum est, sublato per Christum Dominum Mosaicæ legis indulto, sicuti legitimus apud Sanctum Matthæum, cap. 19. & apud Sanctum Marcum, cap. 10. matrimonioque ad pristinum insolubilitatis statum redacto, sublato quoque fuisse, prohibitumque libellum repudii. Quo tempore Nos à Secretis eramus Congregationis Concilii, ex parte cujusdam Græci Catholici propositum fuit dubium, an ipsi permitendum esset, ut secundam uxorem duceret, adhuc prima vivente, quam repudiaverat ex causa adulterii in judicio manifestè probato, impetrata præterea à Judicibus facultate, ut novum cum altera matrimonium iniret; Græcorum enim opinio est, quàm vel maxime in praxi tuentur, adulterii causa matrimonii vinculum solvi, quantumvis contra definitum fuerit tum in Decreto de unione Armenorum, edito

A2

2

à Summo Pontifice Eugenio IV. in publica Concilii Florentini Sessione, habita anno 1439. tum in *cit. can. 7.* Concilii Tridentini *de Sacramento Matrimonii*, tum etiam in Fidei professione pro Græcis Orientalibus stabilita, tum denique in Instructione Clementis VIII. pro Italo Græcis, quam Nos confirmavimus in nostra Constitutione *Etsi Pastoralis*, quæ est 57. §. 8. *Bullarii nostri, tom. 1.* in quibus omnibus locis solemniter assertum fuit Catholicum dogma adversus errorem Græcorum, qui ob adulterium contendunt matrimonii vinculum dirimi, nec satis habent, thori divortium, aut habitationis dissidium fieri. Prædicto autem proposito dubio, & re maturè discussa, responsum fuit, Græcum illum, vivente prima uxore quantumvis adultera, ad alias nuptias transire non posse; sicuti legi potest *tom. 3. Thesaur. Resolut.* in Congregatione habita die 15. Januarii 1724. in causa, cui titulus *Dubium matrimonii* cujus elucidandi gratia Nos tunc Discursum edidimus, distribuendumque curavimus, qui *indicato loco* reperitur impressus. Præterea eodem anno sub die 13. Aprilis admissum pro valido reperimus matrimonium, quod inter virum & mulierem in Helvetia coram ministro hæretico celebratum fuerat; etiam pro certo haberi posset, utrumque conjugem in eodem errore versari, quod scilicet, perpetrato adulterio, matrimonii vinculum solvi posset. Videatur etiam hac de re Schmalzgrueber *ad tit. Decretal. de conditionibus appositis*, §. 3. num. 129.

V. Sed casus hic non omninò coincidit cum casu nostro. Non enim nunc sermo est de matrimonio inito inter duos Calvinistas, quibus hoc per errorem tantummodo persuasum fuerit, matrimonii vinculum adulterii cau-

sa dissolvi; sed agitur de ejusmodi matrimonio, quod à duobus Calvinistis ita fuerit celebratum, ut, præter errorem supradictum, id etiam in pactum, conditionemque deduxerit, & expressè in ipsa matrimonii stipulatione convenierint, quod, si ab alterutro conjugalis fides fracta fuerit per adulterium, conjugii societas etiam quoad vinculum soluta remaneat. In quo rerum statu locum habet celebris Decretalis Gregorii IX. *in cap. Si conditionis, de conditionibus appositis*, cujus hæc sunt verba: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, putà si alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiozem, aut si pro quaestu adulterandam te tradas; matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu; licet alia conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant, propter ejus favorem, pro non adjectis haberi.* Cui conformis est alia ejusdem Gregorii IX. Decretalis, quæ legitur in novo Bullario Ordinis Prædicatorum *t. 2. n. 130.* ubi hæc habentur: *Cùm in Sclavoniae partibus consuetudinem pessimam, quæ dicenda est verius corruptela, esse proponas, juxta quam sub ea conditione mulier conjungitur viro, si sibi placuerit, in matrimonio retinenda, alioquin reddenda parentibus sine mutilatione, vel fractione membrorum: Nos tibi super hoc propter animarum periculum consilium postulanti, taliter respondemus quod, cùm contra substantiam matrimonii talis conditio inseratur, pro eo quod ad tempus nec debet, nec potest matrimonium celebrari, sic contrahentes monendi sunt propensè, & hortandi, ut de novo inter se matrimonialiter contrahant secundum formam Ecclesiæ consuetam. Quod si fortè non fe-*

erint, denuntiari debet eisdem, quod non matrimonia, sed contubernia sunt potius inter eos, nec legitime, sed fornicariè commiscetur.

VI. In laudata Decretali *Si conditiones*, animadvertendum est, duo à Pontifice distingui genera conditionum; primum videlicet earum, quæ sunt contra substantiam matrimonii; alterum verò illarum, quæ aut turpes sunt, aut executioni mandari non possunt, & impossibiles nominantur. Et quidem, quod spectat ad conditiones primi generis, si illæ in matrimonii contractu apponantur, declarat Summus Pontifex, matrimonium per eas nullum & irritum reddi; si verò in matrimonio contrahendo appositæ solum fuerint conditiones secundi generis, illicitum quidem fieri matrimonium, at minimè nullum; conditiones autem pro non appositis haberi. Porro, licèt inter primi generis conditiones eam non recensuerit Summus Pontifex, qua conjuges de matrimonio solvendo conveniunt, si alter eorum adulterii crimen patraverit; attamen, cùm hæc conditio reverà contraria sit substantiæ matrimonii, cujus, ubi consummatum fuerit, perpetuum esse debet vinculum, & ambobus conjugibus viventibus, insolubile; hoc satis profectò est, ut si hujusmodi conditio seu pactum in matrimonii contractu apponatur, matrimonium illud nullum & irritum censi debeat. Celebriores enim Canonistæ, super laudatum textum scribentes, doceant, omnes quidem conditiones, quæ in ea Decretali à Summo Pontifice recensitæ sunt, matrimonii substantiæ repugnare, sed eas minimè solas esse; cùm præter illas aliæ non desint, quæ si in matrimonii fœdere contrahendo inserantur, nullitatis vitium in illud inducunt. Ita docet Abbas *in dictum c. Si conditiones,*

num. 2. *Et licèt textus hic ponat tria exempla istarum conditionum contra substantiam, tamen multa alia possunt reperiri.* Et super eundem textum ita prosequitur Ancharanus *n. 2.* *Adverte, quod ista tria ponuntur in textu, gratia exempli; nam idem esset, ubicumque esset eadem ratio.* Consentiant Joannes Andreas, Henricus Boich, num. 5. Alexander de Novo, num. 3. Fagnanus, num. 2. *in dictum cap. Si conditiones, de conditionibus appositis.*

VII. Præterea Theologi, & Canonistæ non solum rationem inquirunt cur nullum remaneat matrimonium, in cujus contractu insertæ fuerint conditiones ipsius substantiæ, ac naturæ contrariæ, sed etiam quæ sit ratio illius discriminis; unde fit, ut validum, firmumque haberi debeat matrimonium eorum, qui nulla apposita conditione hujusmodi, alteri nubunt; etiamsi falsam opinionem foveant, qua putent, matrimonium ipsum, fracta per adulterium fide, solutum iri; contra verò nullum & irritum censendum sit matrimonium eorum, qui præter eum errorem, quo imbuti sunt, conventionem etiam adjiciunt de matrimonii dissolutione quoad vinculum, interveniente adulterio. Super quo ita ratiocinantur. Quicumque contractum vult, necesse est, ut ejusdem substantiam velit; ideoque, si contrahentes, in matrimonii fœdere ineundo, conditionem apponunt illius substantiæ contrariam, certissimum hoc est argumentum, nequaquam eos in viri matrimonii contractum consentire; sine contrahentium autem consensu, matrimonium esse non potest. Quod si expressa illa conditio de matrimonio ob adulterium dissolvendo apposita minimè fuerit, quantumvis contrahentes in eo fuerint errore, ut matrimonii vinculum per adulterium dissolvi posset,

nihilominus locus est præsumptioni, ut dum matrimonium, prout à Christo institutum fuit, inire voluerunt, illud omninò perpetuum, ac interveniente etiam adulterio, insolubile contrahere voluerint; prævalente nimirum generali, quam diximus, voluntate de matrimonio juxta Christi institutionem ineundo; eaque privatum illum errorem quodammodo absorbente; quo fit, ut matrimonium ita contractum, validum firmumque maneat. At ubi contrahentes in ipso matrimonii contractu expressam apposuerunt conditionem de dissolvendo quoad vinculum matrimonio in casu adulterii; jam fieri nequit, ut error particularis absorptus maneat à generali voluntate contrahendi matrimonium, prout à Christo Domino institutum fuit; sed potius voluntas generalis ejusmodi extinguatur & suffocatur ab errore particulari, qui manifestè prævalet, ac dominatur; atque hinc oritur nullitas matrimonii, in quo contrahendo appositam fuit conditio ipsius substantiæ contraria. Ita casum à casu distinguentes docent Cardinalis de Lugo de Sacramentis disp. 8. sect. 8. num. 125. & seq. Sanchez de Matrimonio lib. 2. disput. 29. num. 11. Marin. in Theol. specul. & moral. tom. 3. tract. 23. disp. 5. sect. 4. num. 37. Gobat tract. 10. cas. 19. num. 707. Cardinalis de Lauræa de Matrimonio. disp. 17. art. 10. num. 185. Salmaticenses in Curs. mor. tom. 2. tract. 9. de Matrim. cap. 4. dub. 2. num. 26. & fusiùs Schmalzgrueber in lib. 4. decretal. tit. 19. de divortii 1. n. 64. ad 76. & ante ceteros egregiè advertit Auctor Glossæ in cap. De Infidelibus, verb. Esse Matrimonium de consanguinitate & affinitate. En ejus verba: Ipsi (videlicet ii, qui ea voluntate ineunt matrimonium, ut concurrentibus repudii causis, se illud sol-

vere posse arbitrentur) contrahunt eo proposito, ut cum voluerint, separentur, dato libello repudii; sed hoc est contra substantiam matrimonii. Respondeo, si hoc pactum exprimat in ipso contractu, nec inter eos, nec inter Christianos esset matrimonium; sed non copulantur ex pacto, licet postea abscendant uxores de facto. Videri etiam potest, & relegi, quod à Nobis deductum est superiori lib. 7. cap. 6. n. 9.

VIII. Doctrinam hanc secuta est semper, atque constanter Congregatio Sancti Officii, quoties eidem examinanda se obtulit validitas matrimonii vel inter duos Calvinistas, vel inter Catholicum, & Calvinistam contracti, cum scilicet vel ambo conjuges, vel alter eorum in ea opinione versaretur, ut matrimonii vinculum adulterii causa dissolvendum foret. Ita colligitur ex responsione data ad dubium olim ab Episcopo Bosnensi propositum, quod ita conceptum fuit: An sit validum matrimonium contractum inter Catholicam, & schismaticum hæreticum, cum intentione sedandi, vel solvendi matrimonium; ac die 2. Octobris 1680. ita resolutum: Si ista sint deducta in pactum, seu cum ista conditione sint contracta matrimonia, sunt nulla; sin aliter, sunt valida. Hoc idem confirmatur ex quadam decisione solemnique eadem Congregatio, Nobis præsentibus, edidit die prima Augusti 1748. cujus hoc erat subjectum: Sempronius Calvinista Diœcesis Albensis Transylvaniæ, ante quinque annos, coram Curione suo Calvinista (nam ipsimet admittunt clandestina matrimonia valida) sub conditione: Contraho tecum, si, vel quamdiu manseris in honestate conjugali, vel si fidem thori servaveris; contraxit matrimonium cum Sempronia Calviniana. Hæc Sempronium aliquoties infideliter deseruit; redire noluit. Sempronius te-

dio

dio affectus, & ut animæ saluti consuleret, Fidem Catholicam suscepit. Angitur nunc, & dubitat, num recipere teneatur in hæresi Calviniana remanentem veram, an putativam uxorem? Item quis forus ejusdem in causa divortii quoad vinculum? Calvinistarum, an Catholicorum? Primo huic casui secundus subjectus erat his verbis expressus: Titius Calvinista coram ministro ejusdem sectæ, & testibus, in Diœcesi Albensi Transylvaniæ, contraxit matrimonium cum Titia Calviniana ante annos viginti sub prædictis conditionibus. Idem nunc recenter conversus ad Fidem Catholicam dubitant, an ad hoc, ut simul manere possint, consensum & quidem coram Parocho, & testibus, renovare teneantur. His autem dicta Congregatio ita satisfecit: Matrimonia in utroque dubio relata, nulla prorsus esse. Et ad primum dubium specialiter, Sempronium non teneri ad recipiendam uxorem in hæresi Calviniana manentem; immò nec teneri ad recipiendam eam, si ad Catholicam Fidem converteretur; posse tamen ad Catholicam Fidem conversam recipere, si velit, in uxorem, renovato coram Parocho, & testibus utriusque consensu, si nullum aliàs inter eos intercedat impedimentum. Indignum prorsus esse, recurrere ad Calvinistas pro declaratione divortii quoad vinculum. Stante veritate expositorum, matrimonium illud nullum sua natura corruere; nec simpliciter & absolutè indigere Sempronium declaratione fori Ecclesiastici, ut possit ab asserta uxore separari. Et ad secundum dubium, debere recenter conversos renovare consensum coram Parocho, & testibus, ut tamquam legitimi conjuges in conjugio remanere possint.

IX. His igitur principiis positis, videlicet, nullum atque irritum esse matrimonium, in quo contrahendo apposi-

Tom. II.

ta fuerit conditio aliqua ejusdem substantiæ contraria; conditionem autem de matrimonio ob adulterii causam dissolvendo, ejusdem matrimonii substantiæ quam maximè repugnare; valida verò censenda esse matrimonia ab iis contracta, qui licet falsò sibi persuadeant, adulterio interveniente, matrimonii vinculum solvendum esse, id ipsum tamen nullo modo in pactum conditionemque deducunt; ac irrita & nulla esse connubia, in quibus id expressum consultò fuerit tamquam pactum, atque conditio; hisce (Inquam) principiis positis, dubium illud quod à Transylvanis Episcopis propositum fuerat, de matrimonio à viro & foemina Calvinistis cum expressa illa conditione contracto, facillè solutum fuit, edita responsione die 20. Maji præsentis anni 1754. nimirum fuisse nullum, omnique effectu carere debuisse. Quia tamen ex aliquibus documentis, quæ transmissa tunc sunt, & examini subjecta, nonnemo argui posse putabat, eam conditionem non ita Calvinistarum matrimoniis apponi, ut conjugali fide violata, dirimendum foret conjugii vinculum, sed ut divortium tantummodo faciendum esset quoad thorum; alii verò, supradicto Calvinistarum Rituali considerato, & admissio etiam, hunc esse verum illius conditionis sensum, ut solutionem matrimonii quoad vinculum importet, tamen dici posse contendebant, eandem in contrahendi matrimonii actu non ita apponi, ut contractum ipsum, & contrahentium consensum conditionalem efficiat; sed potius eidem contractui superaddit, postquam perfectum jam, & completum fuit per mutuam illam responsionem Accipio; hinc, antequam super proposito postulato responsum ederetur, opportune adhibita fuerunt diligentia, ut eorum omnium haberetur clara & certa cognitio, ex quibus

Aa 3

ne

negotii resolutio pendebat. Acceptis autem indubiis documentis, prospectum fuit & exploratum, eam dissertationem, de qua paciscuntur in celebrandis matrimoniis Calvinistæ, si datam fidem fregerint adulterio, nequam dici posse simplicem thori separationem, seu divortium, sed veram matrimonialis vinculi solutionem. Si enim eorum quis fuerit de adulterio convictus, alter innocens conjux ad novas nuptias liberè transire solet; ipsique hæretici Judices, ubi de unius crimine legitimas probationes adesse cognoverint, potestatem innocenti conjugii faciunt, ut novo matrimonio cum alio conjuge jungatur. Quod verò spectat ad formam contrahendi in Calviniano Rituali descriptam, licet conditio de conjuge tandiu non deserendo, donec ipse in honestate permanserit, non inmediate legatur apposita post verbum illud *Accipio*, sed in subsequenti dumtaxat juramento inseratur; nihilominus, cum hoc jusjurandum non alia de causa proferatur, nisi ut præmissum illud verbum *Accipio*, debitam ex eo firmitatem accipiat, facilè intelligitur, unum eundemque esse actum, qui ex superioribus responsionibus, & ex subsequente jurejurando efformatur, quique paucis verbis sic exprimi potest: *Accipio te, & juro, quod non deseram, donec in honestate permanseris.* Contrà verò non satis percipi valet quomodo conditio illa, matrimonii solutionem importans, ab ipso contractu ita divelli possit, ut non illius pars constitutiva dicenda sit, sed quædam potius appendix, quæ eidem jam completo perfectoque adjiciatur.

X. Ut autem ea magis magisque confirmentur, quæ paulò ante diximus, de nullitate illius matrimonii, cui apposita fuerit conditio aliqua il-

lius substantiæ contraria, ad textum in cap. *Si conditiones, de conditionibus appositis*; haud inopportunum erit aliqua hic verba facere de casu quodam olim in quaestione adducto, cum Nos in minoribus constituti, Secretarii Congregationis Concilii munere fungerentur, quemque tunc expedientes, satis longum Discursum de more edidimus, qui typis impressus legitur tom. 3. *Thesauri Resolutionum* in causa *Ulyssiponen. Occidental.* proposita, & resoluta die 8. Julii anni 1724. Vir & foemina sequenti modo matrimonio se junxerant. In hoc ambo conveniant, ut matrimonium quidem coram Ecclesia celebrarent, ad illud nequam consummare deberent, sed post quindecim dies mulier, monasterium ingressa, Monialis habitum susciperet, deindeque evoluta probationis anno Regularem Professionem solemniter nuncuparet; omni juri renuntians, quod in mariti personam ex matrimonio sibi acquirere potuisset. Et quidem mulier declaraverat, se id plena libertate fecisse, ac promississe; consenseratque, ut si ab his pactis & conditionibus defecisset, matrimonium nullum irritumque declararetur. Concors per omnia fuit reciproca stipulatio viri, omniaque scriptis consignata fuerunt, & significata testibus, qui matrimonii celebrationi præsentés esse debebant, ipsique Parocho, coram quo ineunda erant nuptiæ. Quamvis verò in ipso celebrandi matrimonii actu nequaquam iteratæ, aut expressæ fuissent ejusmodi conditiones; attamen, omnibus præcedentibus & subsequentibus simul junctis, simulque perpensis, nullus erat locus suspicandi, conjuges ab iis promissis & conditionibus, de quibus invicem convenerant, recessisse; sicuti multis ostendit celebris tunc. Ad

vocatus Pitonius, qui matrimonium illud totis viribus impugnabat; ut videre est in ejus disceptatione typis impressa tom. 3. *disceptationum* ejusdem *discept.* 58. Celebrato juxta modum hucusque expositum matrimonio, validum illud firmumque contendeat foemina, ac vehementer instabat, ut sibi à viro matrimonialia obsequia præstarentur. Contrà vir pro matrimonii nullitate pugnabat, affirmans, se ab omni matrimoniali onere prorsus immunem, sibi que liberum esse novo connubio cum altera se copulare. Variæ fuerunt Ulyssiponensium tribunalium sententiæ; sed causa ad Congregationem Concilii delata, matrimonium illud declaratum fuit nullum, per eundem sæpè laudatum textum in cap. *Si conditiones, de conditionibus appositis.* Ea enim conventio, in pactum expressè deducta, qua mulier à se abdicavit potestatem in corpus viri, & vir similiter potestatem in corpus mulieris, aperte contraria est substantiæ matrimonii; sicuti docet Sanctus Thomas in 4. *sent. dist. 28. quæst. unic. art. 4. ad 3.* cui consentiunt Sanctus Bonaventura, Adrianus Pontifex, alii que inter antiquos, quos memorat, sequiturque Sotus in 4. *sent. dist. 29. quæst. 2. art. 3.* neque dissentiant recentiores, Sanchez de *Matrimonio lib. 5. disp. 10. per tot.* Layman *lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 7. num. 9.* Gonzalez in *Cap. Si conditiones, sub n. 8. de conditionibus appositis*, Salmanticenses *Operum mor. tom. 2. tract. 9. de Matrimonio cap. 7. dub. 3. per tot. & precipuè §. 95.*

XI. Quia verò ii, à quibus illius matrimonii validitas propugnabatur, ad ostendendum, eam conditionem non esse contra substantiam matrimonii, nonnulla exempla ab Ecclesiastica Historia petita proferebant; eorum

scilicet, qui matrimonio se junxerant, simulque inter se convenerant de castitate in conjugali statu servanda, & matrimonio non consummato, præter id, quod ex Evangelico textu didicimus de matrimonio Sanctissimæ Virginis cum Sponso suo castissimo Sancto Joseph, animadversum fuit virginitatem in matrimonio à multis quidem piè & religiosè fuisse servatam, qui tamen usui abrenuntiaverunt, non potestati; ideoque dici non poterant apposuisse in nuptiarum contractu conditionem matrimonii substantiæ contrariam. Non enim matrimonii substantiæ repugnat, matrimonio non uti, sed uti non posse; sicuti ostendit Mastrius in 4. *disp. 7. num. 162.* ubi sic scribit: *Essentia matrimonii consistit in mutuo dominio, & subjectione corporum per ordinem ad usum matrimonii; sed potest subsistere dominium & subjectio corporum, cum prædicta obligatione. Cum enim dominium distinguatur ab usu, potest verum dominium subsistere, cum obligatione, seu conditione non utendi re ipsa.* Mastrius adhæret Clericus de *Sacramento Matrimonii decis. 20. num. 21.*

XII. Negari non potest, huic responsioni multum probabiliter inesse, præsertim cum plures alii, præter laudatos Auctores, recenseantur, qui eam sententiam propugnant. Sed & illud etiam negari non potest, complures alios esse tum Theologos, tum Canonistas, qui oppositum doceant, contententes, utramque conditionem esse contra substantiam matrimonii, tam eam scilicet, qua contrahentes mutue corporum potestati in antecessum renuntiant, quam illam, qua hujusmodi potestatis actum & usum sibi met ipsi interdiciunt. Videndus est hæc de re Schmalzgrueber *ad tit. de conditionibus appositis §. 5. num. 119. &*

seq. Porro, ut dubium de Ulyssiponensi matrimonio propositum solveretur, minimè necesse fuit inquirere, quænam ex duabus relatis opinionibus prævalere deberet; in utraque enim rectè pronuntiari poterat pro nullitate matrimonii, de quo tunc agebatur, quemadmodum Congregatio re ipsa pronuntiavit. At iis, qui valida agnoscunt superius enuntiata matrimonia, de quibus Ecclesiastica Historiæ loquuntur, celebrata nimirum inter virum & foeminam, quibus ex Christianæ perfectionis studio propositum erat, quique etiam mutua promissione convenerant, ut à matrimonii consummatione abstinerent; uti factum narrant à Sancta Pulcheria Imperatrice, dum Marcianum Augustum in conjugem simul, & imperii consortem accepit, & inter alios plures; iis, inquam, necesse omninò est de viribus, & subsistentia secundæ ex præfatis opinionibus studiosè disquirere. Ne sermonem hunc nostrum extraneis quaestionibus abrumpamus, ab hac abstinendum nobis esse censemus. Sed cum in nostro Tractatu de Festis Beatissimæ Virginis Mariæ, satis multa dixerimus de matrimonio ab ea inito cum Sancto Josepho, cujus commemorationem facit Ecclesia die 23. Januarii, paucis hinc complectemur ea quæ in prædicto Opere nostro fusiùs exposuimus; quò intelligere quisque possit, ex hoc sancto Beatissimæ Virginis matrimonio nihil inferri posse contra supra expositam firmatamque veritatem, matrimonium nempe illud irritum esse, in quo aliqua conditio apposita fuerit, quæ ejusdem substantiæ repugnet.

XIII. Qui affirmant, Beatissimæ Virginis Matrimonium cum Sancto Josepho in solis sponsalibus constituisse, ii temerè falsoque opinantur. Itaque pro certo tenendum est, primò,

matrimonium inter eos contractum fuisse verum & ratum; secundo, Beatissimam Virginem, antequam cum Sancto Josepho matrimonio conjungeretur, votum quidem emisisset castitatis perpetuò servandæ, ea tamen addita conditione, si ita Domino placuisset; nam sub Mosaica lege oportebat generationi insistere tam mulieres, quam viros; tertio, cum eadem Beatissima Virgo, ante celebrationem matrimonii, ex peculiari revelatione intellexisset, suum conservandæ castitatis propositum Divinæ voluntatis assensu comprobari, hujusmodi voto jam se absolutè obstrinxisset; quarto, ante ipsum quoque matrimonium, Deo pariter revelante, manifestatum Beatissimæ Virgini fuisse simile Sancti Josephi propositum de servanda in matrimonio virginitate; denique, cum Beatissima Virgo, Sanctusque Joseph in matrimonium sese conjunxerunt, nullam omninò apposuisse conditionem; idque satis est, ut affirmemus, nihil ex eo matrimonio colligi posse, quod veritatem illam evertat, scilicet nullum & irritum esse matrimonium, in quo contrahendo adjicitur conditio aliqua illius substantiæ contraria. Hæc est Sancti Thomæ doctrina in 4. Sent. dist. 30. quæst. 2. art. 1. quæst. 2. ad 2. Eius verba: *Beata Virgo antequam contraheret cum Joseph fuit certificata divinitus, quod Joseph in simili proposito erat; & ideo non se commisit periculo nubens; nec tamen propter hoc aliquid veritati deperit; quia illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum; talis enim conditio, cum sit contra matrimonii bonum, scilicet prole procreandam, matrimonium tolleret.*

## CAPUT XXIII.

*De postulatis aliquando propositis circa præsentiam Parochi in matrimonii celebratione; & de matrimoniis conscientie nunciatis.*

TRidentini Concilii decretum cap. 1. sess. 23. de reformatione matrimonii, quo statutum fuit ut matrimonium coram proprio Parocho, aut alio Sacerdote de ejusdem Parochi, aut Episcopi licentia, & duobus testibus celebraretur, ita ut matrimonium aliter celebratum, irritum sit, occasionem aliquandò dedit Episcopis postulandi, quinam verus nubentium Parochus esse intelligatur. Porro Nos olim decreta Congregationis Concilii, ejusdemque responsa hac de re edita, collegimus in nostra Institutione 33. & 46. Latine editionis. Quare, ne hic eadem, quæ dicta jam sunt, repetamus, quædam tantummodo responsa hoc locò adjiciemus, quæ data fuerunt Episcopo Giennensi anno 1581. & relata habentur lib. 3. decretorum pag. 59. & seq. Episcopus siquidem, Ecclesiæ suæ statum referens, nonnulla dubia discutienda proposuit, quorum hoc primum fuit: „Utrum prohibitione facta ab Ordinario, ne Parochus aliquos desponsaret, ita tollatur jurisdictio ipsius Parochi, ut ad contrahendum matrimonium contra talem prohibitionem, non sit legitimus Parochus. Huic autem talis fuit data responsio: Valere matrimonium contractum coram Parocho, cui interdictum est ab Episcopo, ne interveniat. Secundum: „Utrum matrimonium, in quo intervenit Vicarius Parochi, non invalidus, sed valens, contra prohibitionem tantum Ordinarii, sit validum,

„vel potius invalidum, quia non intervenit Sacerdos habens jurisdictionem, cum sit sublata ab Ordinario. Secundo: Esse validum. „Tertium: Si invitus, & compulsus per vim adsit Sacerdos, dum contrahitur matrimonium, præcedente vel non præcedente dicta prohibitione, utrum tale matrimonium subsistat. Tertio: Subsistere. „Quartum: Si Sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, neque audivit, utrum tale matrimonium validè contrahatur, vel potius, tamquam sine Sacerdote, nullius sit ponderis & momenti. Quarto: Non valere: si Sacerdos non intellexit; nisi tamen affectasset non intelligere. Quintum: Si adsit Sacerdos, dum contrahitur matrimonium, casu non cogitans, se esse ad id vocatum, sed aliud agens, audit duos inter se contrahentes matrimonium, utrum sit validum tale matrimonium, in quo fuit præsens, non tamen certioratus nec ad id expressè vocatus, neque interponens suam auctoritatem dicto, vel facto; vel potius sit nullum, quasi assistentia auctoritativa per Concilium requiratur, & non nuda vel casualis præsentia. Quinto: Valere, etiamsi Parochus aliam ob causam adhibitus sit ad illum actum. Hujus responsionis summa à Fagnano refertur in cap. Quoniam, num. 29. & seq. de constitutionibus, et in cap. Litteræ, num. 5. & seq. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ. Quæ verò ad quartum dubium fuit data responsio, cum alio convenit ejusdem Congregationis judicio, edito die 29. Aprilis 1593. ut ex lib. 7. decret. pag. 106. à tergo in quadam Causa Ulyssiponensi: *Sacra Congregatio censuit, si vera sint, quæ narrantur, &*